DE

HISTORICA MEDICINAE EXPLICATIONE

PROLUSIO ACADEMICA

QUA

UT SCHOLARUM

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICA GUILELMA

HABENDARUM LICENTIAM NANCISCATUR

DISPUTATIONEM DE ADIUNCTIS THESIBUS

AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

DIE NOV. XII. A. MDCCCXXX. H. L. Q. S.

PUBLICE HABENDAM INDICIT

FERDINANDUS GUILELMUS BECKER M. D.

ADSUMTIS ADVERSARIIS
Guilelmo Horn, M. et Ph. D.
Philippo Phoebus, M. D.
Aloysio Capellmann, Ph. D.

BEROLINI

TYPIS ACADEMICIS.

CAROLO FERDINANDO BECKER M. D.

FERDINANDUS GUILELMUS

S.

Iam in eo sum, dilectissime pater, ut iis me adiungam, qui in nostra litterarum universitate scholas profitentur, munus hoc arduum suscepturus, quo ut dignum me praebeam, omnem inde a pluribus his annis operam consumsi. Memini autem, quum me educares, te semper optare, ut tandem aliquando ad illud quasi a te mihi propositum pervenirem: atque si quam nunc mihi sentio hanc rem aggrediendi facultatem inesse, tibi eam magna ex parte mihi videor debere, qui iam puerum ad solertius excitaveris litterarum studium, qui quum pueritiae adolescentia obreperet ad Naturae indagationem me institueris, qui denique me

duobus iam abhinc lustris a tua consuetudine semotum, tamen quoties iuvenilis ardor in errores forte me abriperet, toties ad certam rationalis disciplinae viam revocaveris. Tibi ergo hoc offero qualecunque opusculum, quod ut academicis nostris legibus satisfacerem, tanquam inaugurale conscripsi. Primum quidem hic de generalioribus in Medicina quaestionibus disserere mihi contigit: quibus quaestionibus quantum difficultatis praecipue nostris temporibus insit, te scio non ignorare: cum indulgentia ergo atque benevolentia hos precor accipere velis commentarios, et si eos non omnibus numeris absolutos inveneris, huius rei veniam a te mihi spero iri concessum.

Legenti tibi has paginas mox apparebit meas de organicis notionibus sententias quodammodo a tuis differre, in libro quem *de linguae organismo* edidisti propositis: nec possum quin brevissime hac de re quid sentiam tibi exponam. Tu quidem, quum linguam organicam esse generis humani functionem demonstraveris, organismi legibus ea obtemperare docuisti, quae certa quadam atque necessaria ratione fiunt atque crescunt, et quorum partes inter se ad unitatem quandam atque sibi proprium finem coniunguntur. Id quod libenter tibi concedo. Deinde vero id praecipue organicis rebus proprium esse statuisti, quod *differentias* quasdam exhibeant atque *oppositiones*: imo vel con-

tendisti, ut in cuiuscunque organismi, ita in linguae quoque explicandis phaenomenis, huiusmodi perpetuam *diversarum virium oppositionem* praecipuum esse interpretationis argumentum. Equidem vero persuasum habeo, illam quam in inferiori obtinere natura nemo dubitat virium oppositionem ad eum pertinere naturae gradum, quem *chemismi* imperio suspicamur obnoxium esse: hoc vero quum ab *organismo* plane recusetur, item illam etiam ad res organicas recte vix adhiberi posse: quippe quum iste quem et tu monuisti progressus a generalioribus ad specialiores notiones, atque synergia in unitatem quandam atque finem conversa, illam excludere videatur virium oppositionem.

Hanc igitur de differentiis atque polis sententiam, ab iis qui in primis huius saeculi annis sapientiae studiosi naturae investigationi operam navabant, in doctrinam de individuo organico translatam, iam ita mutandam esse censeo, ut in omnibus eiusdem individui functionibus *explicatio* quaedam seu *progressus* appareat, varia quidem ratione sed perpetua serie incedens. Quo progressu linguae quoque formationem atque leges facilius comprehendi, quam illa virium oppositione consentaneum est, praecipue vero eundem ad interpretandam eam quam logicam appellavisti linguae partem valere.

Sed haec hactenus, ne nimium audax has quae vix ad me pertinent res videar at-

tigisse. Te vero ad studia, quae prosperrime inchoasti, vera via atque ratione persequenda vires ne, Dii velint, iusto maturius deficiant: tu mihi tuisque omnibus quotquot sunt, utinam in longam posteritatem serveris tanquam integerrimi erga veritatem atque iustitiam amoris exemplar. Itaque cura ut valeas. Scribebam Berolini Calendis Novembris a. MDCCCXXX.

Quemadmodum hominem non sibimet ipsi tantum vivere oportet sed caeteris hominibus societatis quodam vinculo sese coniungere, eadem ratione cuique qui ad veram adspirat humanitatem desiderium inesse videtur sciendi quae a genere humano insigniora atque graviora et antea peracta sunt et nunc peraguntur. Quare ab antiquissimis inde temporibus hominum atque gentium Historiam traditam esse accipimus. Quae quidem primum in rebus publice gestis versata, mox ea quoque quae in omni doctrinae atque artium genere dicta atque facta memoratu digna videbantur collegit. Ita cum caeterarum disciplinarum, tum Medicinae quoque historia inchoata est, collatis atque comparatis variorum temporum de Medicina medicisque monumentis. Et quae primum tantummodo enarrabat medicorum experimenta, inventa atque opiniones, postea talem in his perspectam habuit diversitatem, ut singularum sententiarum vel impugnandam veritatem vel

confirmandam atque de illarum meritis iudicium ferendum sui crederet officii. Praeterea qui Medicinae historiam scripserunt, multum in ea et ab universae doctrinae fatis et a rebus publice gestis pendere intellexerunt, atque idcirco ad huiusmodi causas animum advertere, et conati sunt quid historiae naturalis incrementa, quid philosophorum placita, quid tandem nova regna, nova religio, novarum terrarum cognitio medicinae afferre potuerint, investigare.

II. Quae in hoc literarum genere apud nos prodierunt specimina magnam sibi meruerunt laudem, eoque magis quo difficilior erat haec investigatio propter insignem materiei copiam e diversissimis repetendam fontibus, nec non arctam medicinae cum aliis doctrinae generibus coniunctionem, praecipue vero notionum in quarum explicatione versatur eius historia ambiguitatem. Tantum vero abest ut ea quae hucusque tradita sunt, medicinae historiam penitus absolvisse nobis persuasum sit, ut viam tantummodo quasi apertam esse concedamus ad exstruendam veram atque rationalem historiam, qualem iure nostra desiderat aetas.

Iam enim eundem ab inferioribus atque rudioribus ad superiores atque perfectiores formas,

qui in variis Naturae animadvertitur phaenomenis transitum, in iis quoque fieri, quae per hominum intelligentiam confecta sunt, demonstratum est: ita ut generis humani historiam, tum quod ad rei publicae spectat administrationem, tum ratione habita notionum quae vigent circa res divinas atque humanas, certum quendam exhibere progressum nemo dubitet qui aequo atque pio animo veri reperiendi studio ardeat.

Quem quidem progressum, ut in Philosophiae historia a nostratibus optime expositus est, eadem in caeteris doctrinis ratione fieri consentaneum est: quae ratio qualis in Medicina sit, nostram de hac re coniecturam hocce commentario indicare potius quam exponere propositum habemus. Qua in quaestione in libertatem nosmet vindicemus tam ab ea subtiliorum rerum scrutatione, quae sententias generales ab intellectu removeat, quam a deplorabili illa obscuritate linguaeque ambiguitate qua involuti, spreta rerum apertarum cognitione, inania nonnulli declamant verba, et ad mystica confugiunt commenta, pessime ita parati et ad tractandas quaestiones reconditiores et ad interpretanda singula quae historia exhibet phaenomena.

III. Verum enim vero Medicinae progressus exponi non posse censemus, nisi ex ingenti materiei copia qua obruitur historia, ea quae generalem spectant ab illis quae ad specialiores res pertinent, separentur. Quae variorum temporum medici de singulis invenerunt atque statuerunt corporis partibus atque functionibus, de diversis morbis atque remediis, minime ignoranda esse certissimum est: quippe quae non solum omnino necessaria sint ad perficiendam de singulis hisce rebus doctrinam, sed materiem quoque praebeant ad parandam atque stabiliendam generaliorem historiam. Haec autem prorsus aliam desiderat formam, atque illi graviter videntur errare, qui historiam Medicinae absolutam esse credant, si insignissimi cuiusque medici de omnibus atque singulis quae ad Medicinam pertinent rebus, doctrinam deinceps tractaverint: per tantam enim disiectorum membrorum diversitatem ipsius doctrinae progressus apparere non possunt.

Prorsus separatim enarranda esse videntur quae de corporis structura atque usu partium variis temporibus inventa sunt: quum haec historia tota in singularum rerum observatione atque descriptione versetur. Neque hic displicet

Sprengelii methodus, qui inventorum anatomicorum et physiologicorum historiam ipsi cuiusque saeculi Medicinae historiae praemittit: illa enim hanc praecedere debet, ita ut inde pateat quomodo cuiusque aetatis notiones generalcs ad speciales applicari potuerint quaestiones, atque ex iisdem denuo accipere lucem.

Excludendae vero a generaliori Medicinae historia sunt fusiores de veterum circa singulos morbos placitis notitiae, remediorum quibus usi sunt enumeratio, chirurgicorum apparatuum descriptio.

IV. Omnium autem temporum monumenta duplicem in Medicina indicant cognitionum modum: alterum nimirum qui circa rerum specialium observationem experimentaque versatur, alterum qui de generali imprimis agit rerum natura: quorum primum ἐμπειρικὸν appellare consuevimus, alterum rationalem. Verum enim vero empirica atque rationalis Medicina plerumque non iisdem floruerunt temporibus vel apud easdem gentes. Nam ex omnibus hominum ingeniis alia ad genera potissimum consideranda theoriasque excolendas sese convertunt, alia specierum observationi solummodo operam navant: ita ut rarissime idem in utraque excelleat methodo.

Sicut vero eaedem quae in singulis hominibus observantur differentiae plerumque in totius gentis humanae etiam historia apparent, in hac etiam re fluctuatio quaedam animadvertitur inter medicinam rationalem et empiricam. Post Hippocratem enim et qui ante illum floruerunt ἀνωνύμους naturae morborumque observatores statim medicos ad abstrusiores confugisse de abditis causis quaestiones postea nobis indicandas docent libri Hippocratici qui dicuntur. Deinde spreta rationali disciplina medicinam iterum in usu atque experimentis ii posuerunt qui proprie Empirici dicti sunt: quos deinceps secuti sunt Methodici et Pneumatici, rationali potius sectae adscribendi. Post Galenum, qui cunctam et rationalem medicinam et experientiam quantum suo innotuit saeculo tradidit, iterum tam Graeci et Romani quam Arabes in singulorum morborum atque remediorum incubuerunt cognitionem. Eadem fere disciplinae vicissitudo apud recentiores obtinuit, ratione tamen habita maioris haereseum varietatis atque diversae apud varias gentes medicinae culturae. Ita nunc ex multis inde annis Britanni in observationibus toti versantur: Itali, solertissimi olim observatores, in generaliores atque abstrusiores nuper se contulerunt perscruta-

tiones: Galli tandem iamiam ex ultimae aetatis empiria ad rationalem revertuntur disciplinam.

Superfluum videtur quae de utriusque Medicinae meritis exortae sunt componere lites: nec in propositis est id de quo omnes fere hodie consentiunt repetere, necessariam scilicet utriusque nexum atque unitatem. Experientiam vero atque empiricae disciplinae ab artis origine ad nostra usque tempora fata nequaquam ipsius doctrinae exhibere progressum consentaneum est: itaque in nostra investigatione potius ea negligenda videntur. Manifeste enim observationes atque experimenta plerumque singula respiciunt phaenomena saepius fortuito inventa nec certam ullam seriem necessariumque progressum continentia.

Caeterum relatio quaedam inter Medicinae rationalis progressus atque experientiae copiam minime negatur: constat enim, homines, quaslibet de rerum natura amplexos notiones, ad ea praecipue sese conversuros esse observationum genera, quibus illas confirmari atque extendi existiment notiones: ea contra quae quodam tempore vel singulorum hominum industria vel casu inventa sunt statim in generalium quaestionum multum valere formas atque rationum modos.

Historici autem est huiusmodi exponere nexus atque mutuos effectus, nec vero ex empiria medicinae historiae repetere rationem.

V. Historici igitur progressus expositionem in rationali medicina quaerentibus nobis iterum exoritur quaestio, utrum ex ipsa medendi methodo deducendus sit, an e caeteris de natura hominis atque morbi notionibus. Primo sane conspectu medicorum sectae eo praecipue differre videntur, quod variis morbos curant modis, ideoque medicinae progressus ex ipsius medendi methodorum effluere incrementis. Accuratius autem perpensa res non ita se habet: historia scilicet nos docet, vulgaria curationum principia non eum quem in rationali medicina suspicati sumus, exhibere progressum. Nec mirum est: medendi enim methodus, quae magna ex parte ab experientia pendet et ab observatione casu res novas inveniente, in reliqua quoque et rationali parte, quae consuetos curationum modos in ordinem redigit atque certa illorum statuit principia, haec a physiologiae et pathologiae notionibus quidem desumit: nec vero eodem quo utraque haec progreditur passu, illam etiam procedere contigit. Ita clarissima quaeque in medicina secta quamvis quandam sibi propriam habeat medendi ra-

tionem, haec tamen illius dignitatem minus constituit quam generaliores quas excoluit notiones de homine atque morbo: quid quod saepius vix necessarius quidem in conspectum veniat nexus inter celeberrimam subito ortam medendi methodum et quae eodem tempore et apud eosdem homines obtinet rationalem doctrinam.

Qui nexus si prospero cum eventu esset erutus, respectis et singulis e quibus generalis medendi ratio desumitur cuiusque doctrinae notionibus, et variis quae eodem tempore fortuito casu eveniunt atque in curationum methodum vim quandam exercent causis, tunc demum specialis Therapeutices historia confici posset: cuius tamen fata a rationalis medicae doctrinae historia prorsus separanda sunt, eamque antea confectam excipere debent.

VI. Itaque historiam medicinae rationalem ex ipsarum de homine et sano et aegro notionum apud medicos ortu atque progressu interpretandam esse nobis persuasum est. Hominem vero totius creaturae finem atque quasi complementum esse ideoque omnium quae in rerum natura existant summarum notionum genera ei inesse, pro certo nobis videmur statuere posse. Quarum notionum vestigia in corporis persequi

structura atque in actionum quibus fruitur homo varietate, physiologiae et pathologiae rationalis est officium, ita ut illarum genesis atque successio certo quodam naturae ordine appareat. Historiam vero medicinae interpretari concessum est, quando eundem quem rationalis hominis contemplatio exhibet ordinem, etiam in historia servatum esse docuerimus, atque quid quaeque aetas, quisquis medicorum princeps atque quaeque secta in hisce statuendis praestiterit notionibus explicaverimus.

Quisnam autem iste summarum notionum ordo sit quae vitam humanam definiunt, hisce nostris temporibus minime constat: quum nulla fere agnoscatur inter illos qui physiologiam atque pathologiam tractant universa auctoritas. Alii enim nonnisi ad phaenomenorum externam speciem animum advertentes summarum notionum prorsus fugiunt indagationem; alii contra vel veteris doctrinae adhaerent uni et alteri, vel novos quosdam notionum ordines sibi effingunt. Quos tamen, quantum nobis innotuerunt, nequaquam omnibus numeris absolutos videri libenter confitemur, quippe quum nec doctrinae de homine sano atque aegro solida fundamenta neque historiae medicinae rationem interpretationis ab

iis praeberi sentiamus: veluti quae nuper ad intelligendam vitam propositae sunt notiones: Materiei atque Virium oppositio, vitae Organicae atque Animalis differentia, Reproductionis, Irritabilitatis atque Sensibilitatis clarissima trias, Excitabilitatis atque Receptivitatis commercium et caetera.

In tanta inopia illum qui nobismet magis arridet ordinem notionum, quibus vita humana comprehendi potest, exponendam esse censemus: ut qui quamvis minime perfectus dici possit, tamen ad quandam veritatis similitudinem accedere videatur.

VII. Hominem quidem quatenus corporea eius structura e materia constat, materiei etiam obtemperare communibus legibus consentaneum est, quae licet diversissimae ad duo genera referri possunt, Mechanismum scilicet atque Chemismum. Mechanico enim modo materiei motus fieri videntur quum ab uno quolibet corpore cum alio communicantur, ita ut hoc ab illo vim quandam pati affirmare possimus. Chemice contra afficitur materia quum ex duarum inter se differentium eius virium certamine vel coniunctione tertium aliquod atque intermedium prodit.

Utrumque hunc mutationum modum ut in omni materia, ita in corpore humano quoque fieri constat: qualemcunque enim in hominc a mechanica et chemica agendi ratione deflexum non solum non existere persuasum habemus, sed vel quomodo fieri possit ne animo quidem concipere nobis concessum est.

Qui vero per totum humanum corpus eiusque partes pervadit Mechanismus atque Chemismus nihil quidquam ad interpretandam valet vitam, quae aliud omnino exposcit notionum genus. Ita in errorem ducuntur tam qui in Mechanismi et Chemismi notionibus vitae humanae rationem sperent unquam inventam iri, quam qui iisdem contrarium quid in animantibus fieri credant.

VIII. Ad intelligendum igitur hominem simul caeteraque qualiacunque in hoc orbe vivunt atque spirant, tertiam nos oportet exhibere notionem, et eam quidem Energiae Organicae, quae ita fere definiri potest, ut in seipsa sui habeat finem atque obiectum. Praetermissa autem generaliori quae in rerum natura cernitur actionis organicae ratione, in homine specialiorem illam invenimus et perfectiorem, quae Organismum individuum constituit.

Organica nimirum INDIVIDUA ea vocamus, quorum corporibus (*a*) certum inesse cernimus ortum, incrementum atque progressum: quae (*b*) sua ipsorum vi rebus externis sese opponunt, ita ut eas aut subigant, aut illarum imperium a se avertere conentur: quae denique (*c*) licet extensae sint et varia variis partibus agant, ad synergiam atque unitatem conspirant.

IX. Haec vero organica vitae notio longe abest ut sufficiat ad interpretandam hominis naturam. Ex partium enim illa synergia atque organismi unitate individuum quod proprie nunc eo nomine appellandum est, iam ad altiorem evehitur existentiae gradum: exoritur enim SENSUS. Quem (*a*) primum in ipsius *corporeae existentiae cognitione* (κοινῇ αἴσθησι) versari accipimus; deinde (*b*) conversum ad sensibilem mundum externum hunc ipsum et αἰσθητηρίων externorum ope *percipere*, et membrorum motu vel *appetere* vel *fugere*: ex quo cum rebus externis certamine demum (*c*) redit ad claram atque distinctam *sui ipsius conscientiam*.

X. Ita sensim sensimque liberior a materiei naturaeque necessitate evolvitur MENS humana, *cogitatione* praedita atque *voluntate*, qua tandem individuum ad summum pervenit finitae

suae existentiae gradum. Quod enim inter plura individua commercium primum organico *sexuum* connubio; deinde *voce*, laeto conscientiae signo efficitur, id demum per *linguam* humanam, mentis instrumentum, in intellectus regionem transfertur, ita ut individuum intelligens *mundo intelligenti* sese adiungat.

XI. Itaque certa et inevitabilis MORS individuo impendet et ea quidem oritura ab eadem corporea natura unde ipsius individui initia demonstravimus. Ubicunque autem certamen fit inter individui existentiam et Naturae vim, ibi MORBO parari arenam intelligimus, morborum autem necessitatem, existentiam, differentias, phaenomena ex earundem quae hominem explicant notionum ordine esse desumendas.

XII. Sed iam ad historicam nostram quaestionem reversi, breviter indicabimus quis fuerit singularum quas explicavimus notionum in Medicina ortus atque progressus, laudatis nonnisi illustrissimis aliquot qui hunc effecerunt et medicis et medicorum sectis. Generalem vero progressum huiusmodi fere fuisse videmur nobis statuere posse. Graecorum medicina notionibus usa est *mechanicis*, quibus *chemicarum* quoque prima rudimenta coniunxit. Post renatas in Eu-

ropa literas, medicina *organica* inchoata est, cuius quidem initia duae statim alienae sectae comitabantur, quae denuo mechanicam et chemicam tantummodo explicationem usurpantes, ad suorum temporum inventa eiusmodi applicaverunt notiones. Ad *sensum* demum et quae huc spectant notiones XVIII potissimum seculi medici accesserunt, varii varia ratione ad explendum hoc interpretationis genus contendentes, qui et ipsi plus minusve in mechanismum atque chemismum vergebant. Quomodo vero, in ordinem tandem redactis atque penitus intellectis Mechanismi, Chemismi, Organismi, Sensus et quae inde prodeunt notionibus, nostra aetas ad indagandam *mentem* transire debeat, quatenus scilicet medici sit, id est quantum naturae necessitati obtemperet, hanc quaestionem pro virili parte tractandam ad aliam differimus occasionem.

XIII. Sicut philosophia, artes ac literae, ita medicina quoque a Graecis nobis tradita est: ideoque derelicta curiosa magis quam utili vel necessaria illarum quae apud antiquiores gentes gestae sunt rerum investigatione, ad Graecam imprimis interpretandam medicinam historia sese convertit. Duorum vero praecipue ordinum homines artem hanc apud Graecos exercuisse ac-

cipimus, primum scilicet Aesculapii sacerdotes, deinde Sapientiae professores, medicinae quoque peritos. Hos autem ex illorum imprimis fuisse numero verisimile est, qui naturae praecipue cognoscendae operam dabant et de mundi omniumque rerum ex elementis origine disputabant.

Medicinae studium a Sapientia separatum esse consentaneum est, quum in locum *naturae* elementorum illa substituerentur e quibus *homo* constare crederetur. Id quod si non ab ipso Magno Hippocrate tamen eius fere aetate impetratum esse videtur ([1]). Uti autem Graecorum

---

([1]) „Ideoque multos ex sapientiae professoribus peritos eius (sc. medicinae) fuisse accipimus: clarissimos vero ex iis Pythagoram et Empedoclem et Democritum. Huius autem ut quidam crediderunt discipulus Hippocrates Cous .... ab studio sapientiae disciplinam hanc separavit." Miratus sum quum perspicuum hunc Celsi *in praefat.* locum a novissimo quodam scriptore ita intellectum perspicerem, ut *sapientiam* et Graecorum religionem (*Gottes- und Naturdienst in den Tempeln*) crederet eandem esse, et historicam quandam ὑπόθεσιν inde superstrueret. „*Hippokrates und die Hippokratischen Werke sind die personificirte Offenbarung der Befreiung der Medicin vom Cultus; mit ihm daher beginnt ihr eigenes geschichtliches Leben.*" DAMEROW *Elemente der nächsten Zukunft. Berl.* 1829. *S.* 39. Nostra contra versio libri de *natura hominis* introitu confirmatur ubi haec leguntur: ὅστις μὲν εἴωθεν ἀκούειν λεγόντων ἀμφὶ τῆς φύσιος τῆς ἀνθρωπίνης προσωτέρω ἢ ὁκόσον αὐτέης ἐς ἰητρικὴν ἀφικέει τουτέῳ μὲν οὐκ ἐπιτήδειος ὅδε ὁ λόγος ἀκούειν κ. τ. λ.

physica sapientia in tali naturae contemplatione versata est quae Mechanismi et Chemismi praecipue origines percepit ([1]), ita quum ad hominem morbumque adverteret animum, fieri non potuit quin idem notionum genus medicinam quoque pervaderet. Qua in re libri qui diversae aetatis variaeque auctoritatis ab ignotis plerumque medicis conscripti vulgo Hippocratici dicuntur, certiores nos faciunt. Saepe quidem cernimus illos qui nuper organicae hominis interpretationis non solum veritatem sed etiam antiquitatem vindicare studuerunt, in his libris quaedam monstravisse monumenta, quibus suam doctrinam ab Hippocrate iam et viris Hippocraticis excultam fuisse persuadere sibi videbantur. Accurata vero eorundem librorum lectio organismi notionem a Graecis hic illic quidem praesagitam, nunquam autem in ipsam medicam doctrinam receptam fuisse docet. Plerique vero qui huc pertinere dicuntur loci plane alium praebent sensum ([2]). Universa autem tam illo-

---

([1]) Confer praesertim quae Sturzius edidit *Empedoclis fragmenta*.

([2]) Toties decantatum illud *τὸ ἐνορμῶν* seu *Impetum faciens* frustra in Hippocraticis libris quaeres nisi in singulo Epidem.VI. S.VIII. loco ubi haec: *τὰ ἴσχοντα, ἢ ὁρμῶντα, ἢ ἐνισχόμενα σώματα.* — De *Divino* quoque (*τῷ θείῳ*) multum hallucinati sunt, quum tamen illius imperium in morbis, veteris

rum librorum qui solerti naturae observatione sermonisque puritate insignes maiore iure uni et quidem egregio cuidam adscribendi videntur auctori, quam reliquorum omnium medica doctrina circa elementa versatur et corporis humani humores eorundemque qualitates, calorem (1) et spiritum (2), mechanice solummodo corpus afficientia; deinde in morbis κρίσιν statuit seu *separationem*, quae vel πέψι vel ἀποστάσει fieri credebatur (3): tandem fluxus (καταῤῥοῦς, ῥόους) (4), morborum ὑποστροφήν (5), vasorum plenitudinem

---

superstitionis reliquiae, in libro omnium consensu genuino *de aëre locis et aquis*, nec non in eo qui *de morbo sacro* inscribitur, plane recusetur. — Saepissime deinde laudantur librorum Hippocraticorum de *Natura* sententiae: φύσις ἐξαρκέει περὶ πάντα· .. ἀπαιδευτὸς ἡ φύσις ἐοῦσα καὶ οὐ μαθοῦσα τὰ δέοντα ποιέει *Epid.* VI. 5. φύσεες παντῶν ἀδιδακτοί Lib. *de Alimento*. ἡ μὲν γὰρ αἰσθανομένη ἄξιοι θεραπεύειν κ. τ. λ. Lib. *de Arte*, quibus tamen nihil definiti videtur inesse. — Etiam τὸ πνεῦμα et τὸ ἔμφυτον θερμὸν organici quid, sed perperam, olere nonnulli crediderunt.

(1) Lib. *de originibus* (περὶ ἀρχῶν) vulgo περὶ σαρκῶν.

(2) Lib. περὶ φυσῶν.

(3) Priscorum enim medicorum κρίσιν *separationem* illis fuisse, nec uti visum est Galeno et omnibus qui post illum scripserunt *iudicium*, pro certo habemus.

(4) Lib. *de locis in homine*.

(5) Lib. *Prognost.*

(πλήρωσιν) et angustiam (κενεάγγειαν) ([1]), aliasque huiusmodi notiones.

XIV. Quomodo his ab initiis ad Galeni usque aetatem mechanica interpretatio a variis variam acceperit formam, ita ut omnes fere eam spectantes notiones suum habuerint locum, historici est explicare, neque negligere quantum tunc temporis medicorum doctrinae a philosophorum placitis dependerint ([2]). Nosmet autem nominatis tantummodo Praxagora qui numerum auxit humorum quibus tunc morbos contineri putabant; Erasistrato qui sanguinis et spiritus in va-

---

([1]) Praecipue in Lib. *de Diaeta acut.*

([2]) Nobis quidem ulteriores Medicinae Graecae progressus liberiores fuisse videntur a philosophorum sectis quam vulgo credunt. Parum in eam contulit Plato, quum ea ipsa quae de hominis structura atque morbis in *Timaeo* tradidit nequaquam eas superant notiones quae ab eiusdem saeculi medicis receptae erant: nec quam sibi finxit animae triplicem sedem in medicam doctrinam quidqum valuisse potest contendi. — Aristotelis *de Anima* libri qui tantum lucis in doctrinam de homine effundunt ut vel nunc vix quemquam disertius hac de re scripsisse statuere possimus, a Graecis vel neglectos vel minus intellectos esse verisimile est: quod vero medicorum sectae ab Aristotele acceperunt, id disserendi methodum magis spectat quam ipsas summas notiones. Quae de Academiae affinitate cum medicis Empiricis, Scepseos cum Methodicis, Stoae cum Pneumaticis, vulgo docentur ab historicis, ea non omnino pro certis accipienda sunt: propterea quod veterum his de rebus testimonia ad illam affinitatem probandam parum sufficiunt.

sis abundantiam atque praeternaturales motus morborum habuit causam; tandem illis qui Methodici appellari volebant atque omni explicandae hominum morborumque naturae spe derelicta, inanibus suis *communitatibus* medicinam comprehendere studuerunt, mechanicas stricti et laxi, στεγνώσεως et λύσεως, praecipue notiones usurpantes; iam ad Galenum pergamus, qui omnia quae antea apud Graecos in Medicina inventa erant recepit atque excoluit.

Cuius exquisita anatomiae et physiologiae scientia, peritissima disputationum dialecticarum consuetudo, summa in quaestionibus et philosophicis et medicis eruditio, scribendi genus facile atque ornatum, tantam ei pararunt auctoritatem ut nemo postea quidquam quod ad generaliorem doctrinam spectaret proferendo ab illo discedere ausus sit. Totam vero morborum doctrinam posuit in mutata elementorum seu qualitatum κράσι et partium variae ordinis κατασκευῇ qua functiones turbantur; methodum medendi in eo quod contraria contrariis curanda sint. Saepissime in physiologicis praecipue libris a Galeno et qui illum secuti sunt de viribus, δυνάμεσι, disputatur, notione post Aristotelem a philosophis recepta, cuius vestigia iam apud antiquiores quoque in-

venies medicos. Id quod historiae medicinae quibusdam suasit scriptoribus ut Galeno *dynamicam* quam appellaverunt tribuerint doctrinam, ideoque diversam ab illa quae ante illum floruerat et ipsam corpoream potius respexerat materiem. Sed minus recte id nobis factum videtur. Vires enim a Galeno e philosophia in physiologiam receptae quamvis usum loquendi mutaverint, tamen nihil fecerunt ad definiendas ipsas de hominis natura notiones, quae quidem minime deflexerunt a mechanica interpretatione ([1]). Eodem modo respectus ad causas finales quem habuit ubi de usu partium ([2]) egit, penitus distinguendus vide-

---

([1]) Ipso Galeno δύναμις fuit *motus activi causa:* Ἔργον δὲ δηλονότι καλῶ τὸ γεγονὸς ἤδη καὶ συμπεπληρομένον ὑπὸ τῆς ἐνεργείας αὐτῶν, οἷον τὸ αἷμα, τὴν σάρκα, καὶ τὸ νεῦρον. Ἐνεργεῖαν δὲ τὴν δραστικὴν ὀνομάζω κίνησιν, καὶ τὴν ταύτης αἰτίαν δύναμιν .... καὶ μέχρι γ᾽ ἂν ἀγνοῶμεν τὴν οὐσίαν τῆς ἐνεργουμένης αἰτίας, δύναμιν αὐτὴν ὀναμάζομεν, εἶναί τινα λέγοντες ἐν ταῖς φλέψιν αἵματος ποιητικὴν δύναμιν, κ. τ. λ. *De natur. facult.* I. Cum igitur de viribus loquatur tam corporis quam naturae, aperte se motuum qni fiunt causam atque essentiam ignorare confessus est. Qualitatibus autem suis (ποιότησι) nullam tribuit veram existentiam, quin contra Athenaeum illarum *abstractam* uti nobis dicere mos est, monstravit naturam. Confer *de Elem. sec. Hippocr.* I. 6.

([2]) Inter Galeni qui huc pertinent locos dignissimum laudamus *Comm. ad librum de Alimento* II. ... ἡ δημιουργικὴ τῶν σωμάτων φύσις, ὡς προνοητικὴ τῶν ἐσομένων, πάμ-

tur a vere organica quae postea innotuit doctrina. Summo igitur iure dici potest medicina veterum, cui Galenus quasi finem imposuit, ad summam qua tunc temporis frui potuerit, doctrinam mechanicam ab illo evecta fuisse.

XV. Plus quam decem inde insecuta sunt saecula quae nihil prorsus praebent novi in generali medicinae historia. Graeci atque Romani post Galenum ad specialiores tantum res animum advertentes, quosdam morbos diligentius descripserunt, nova proposuerunt remedia, chirurgiam imprimis excoluerunt, derelictis plerisque de hominis morbique natura quaestionibus vel sane receptis veterum his de rebus praeceptis. Qui deinde philosophiam simul et medicinam in Europa fere perditas exceperunt, Saraceni, in utraque commentatorum potius quam inventorum munere functi, in theoria medica nihil profecerunt; eaedem enim quas Graeci, atque postremo Galenus, statuerant mechanicae circa hominem notiones ab iis expositae sunt magis magisque ta-

---

πολλα τῆς τροφῆς ἀλλοιωτικὰ ὄργανα ἐν ἑκάστῳ τῷ ζώῳ πεποίηκεν ..... et iterum *ἔστι μὲν οὖν ἡ φύσις θαυμάστη καὶ προνοητικὴ τῶν σωμάτων ὑπὲρ αὐτῶν ἕνεκα τοσαῦτά τε καὶ τοιαῦτα δεδημιούργηκε τὰ μόρια· τέλος δὲ εἶχεν αὐτὴ τὴν θρέψιν.* .... Etiam conf. *de Hipp. et Platon. plac.* IX. 8.

men a Peripateticorum obfuscatae dialectico apparatu.

Id demum temporis momentum quo vetera Graecorum atque Romanorum monumenta litteraria simulque illorum sapientia atque artes e longa oblivione provecta et Christiano orbi integriora reddita sunt, medicinam quoque egregie adiuvit: verum enim vero totus ille mentis humanae transitus a prisco ad recentiorem statum, quo veterum opiniones primum quidem e medii aevi obscuritate in lucem productae, deinde puriores redditae, denique recensitae atque reiectae sunt, ad humanitatis potius quam medicinae historiam pertinere videtur. Nec quae tunc exortae sunt medicinae vicissitudines a singulis uti fieri solet atque externis causis repeti debent, inter quas nova e mineralibus a Saracenis desumta remedia referuntur et morbi veteribus incogniti neque assuetis curandi methodis obnoxii: illae enim vicissitudines altius quaerendae videntur, quum idem quo res publicae, religio atque philosophia conquassatae sunt, libertatis atque novitatis studium cum medicina quoque sese communicaverit. Quocirca qui integriorem Galeni doctrinam Arabum substituere farragini optime quidem de medicina meruerunt, id quod de iis

quoque dicere licet qui Magni Coi potissimum vestigia sequi voluerunt in morborum accuratiori observatione: omnibus vero huiusmodi laboribus veterum sententiae eo solummodo excultae esse videbantur, quo facilius a novatoribus impugnarentur atque subverterentur; quo factum est ut quae ab Argenterio, Iouberto, Vesalio reliquisque primum in dubium vocata est Graecorum auctoritas a Theophrasto Paracelso prorsus recusaretur, acclamante sectatorum turba.

XVI. E tanto autem opinionum certamine tandem exortae sunt organicarum de homine notionum (VIII) initia, quae obscura primum atque indefinita sensim sensimque exculta atque perfecta liberius sibi imperium vindicaverunt.

De ipsius Paracelsi dignitate saepe est disputatum: in qua quaestione merita eius ob destructa priora et nova substituta confundi non debent. Multa quidem atque egregia fecit conficienda veterum auctoritate: eadem autem qua hanc impugnavit violentia, effraenatumque novarum rerum studium vetuerunt ne aequo prosequeretur animo quae sese obtulerunt verioris doctrinae vestigia ([1]). Inventa eius ab hominibus

([1]) Non me fugiunt illi qui ultimis his annis magnas Paracelsi laudes celebrarunt summamque ei inesse sapientiam

variae indolis receptae sunt, quorum alii crudis tantummodo quae posuerat chemiae initiis operam navarunt, alii ad organicam potius medicinam sese converterunt: horum memoratu dignissimum ab historicis nimis neglectum habemus Petrum Severinum, qui notiones de organismo apud Paracelsum hic inde sparsas atque linguae obscuritate obtectas collegit atque clariores reddidit: organicam enim vim quandam agnovit, quam *vitae Balsamo* suo inesse docuit. Sed illum quoque in errores duxit vana quam saeculum illud prae se ferebat spes inveniendi ipsum Balsamum atque in morborum curationem convertendi (1).

---

dictitarunt. Qui autem omnes aut certe plerosque illius perspectos habent libros, facile intelligunt, ipsum qui totam vagus atque exsul vitam egerit nusquam contentus, eundem in doctrina sua quoque dubium esse atque incertum, cum plerumque varias pro varia occasione proferat sententias. Qui vero ex tanta eius scriptorum copia singulas sibi vindicant sententias, quas suis consentaneas esse credunt opinionibus, illisque innisum Theophrastum medicinam suam constituisse persuadere conantur, ii non solum errore ducuntur, sed fallere omnino videntur studere.

(1) „Medicina fundatur in vitali Principio, Semine, Balsamo vegetabilium, mineralium et animalium, cui omnium actionum in Natura principium acceptum referimus: adeoque legitima huius naturae praeparatio et administratio medicam constituit scientiam".... Balsamum istud „totius Creaturae nucleum" mineralibus sapores et odores praebere, plantarum oeconomiam

XVII. Verum enim vero quae Paracelso et Paracelsicis innotuit doctrina, ea universalis potissimum organismi quandam notionem suspicata est, nec vero ad *individui organici* distinctionem accessit. Fere eundem autem, quem apud Graecos animadvertimus, transitum a sapientia, quae in totam rerum naturam inquireret, ad medicinam, quae de hominis solummodo elementis disserebat, iterum in eo cernimus, quod ex Paracelsicorum universali *Balsamo, Tinctura, Principio Semine* in lucem prodiit individuus Helmontii *Archeus*. Itaque Helmontius eo praecipue

---

sua benignitate perfundere, animalium vero „universam corporis anatomiam occupare, et pro diversa tinctura, impressione, confluentia, quam diversis locis recipit, diversas quoque producere actiones. Itaque si partes occupaverit mobiles, motum ciet, si sensibiles sensum, alibi concoctiones, excrementorum separationes, alimenti distributiones, nutritiones moderabitur. Hinc foecunditatis memor tincturas admittit et praeparationes generationi necessarias. Quodsi vivendi errore noxium aliquid latenter ipsius provinciam occupaverit, omnibus collectis viribus providentia insigni hostem nunc confestim aggredietur, nunc decreta digestaque tempora expectavit, concoctionesque molietur, quibus absolutis sine sudore et sanguine triumphum aget, debilitata paulatim in naturalem statum reducens: fortiore vero hoste, validioribusque satellitibus provinciam occupante, ut suorum civium ministerio abigi non possit, multa prius moliens succumbet, medicorum ope frustra implorata." *Idea medicinae philosophicae*. Basil. 1571. p. 23. Confer eiusdem libri Anacephalaeosin p. 409.

de medicina meruisse videtur, quod individui organici notionem exposuerit, principium quoddam cuique corpori inesse statuens generationis, nutritionis, conservationis. „Quicquid in mundum venit per naturam, necesse est habeat suorum motuum initium, excitatorem et directorem internum generationis" ([1]). Ad istius Archei actiones relatis plerisque sanitatis ac morbi phaenomenis ([2]), mechanismi vincula quibus de homine doctrina implicita erat, magna ingenii sui vi fregit ac solvit, morbum ab humorum atque

---

([1]) „Ille inquam faber generati imaginem habet, ad cuius initium declinationes rerum agendarum componit.... Archeus generationis faber ac rector seipsum vestit statim corporali amictu: in animantatis enim perambulat sui seminis latebras omnes et recessus, incipitque materiam transformare iuxta imaginis suae entelechiam..... Praeses demum ille manet curator rectorque internus finium in obitum usque." *Archeus faber* p. 33.

([2]) Morbos Helmontius post hominem e Paradiso eiectum ortos esse finxit, archeo, qui antea fuerat absolutus, debilitato atque labefactato: „In Eden enim poterat Archeus noster plenarie omnes Archeos tam venenorum quam alimentorum in sui incrementum subigere absque ulla sui lassatione aut eorundem reactione.... Sed mox homo eiectus in terram; haec tribulos et spinas innexit" etc. *Magnum Oportet* p. 127. „Repeto, omnem motum tum in sanis quam in aegris immediate proficisci constitutive et efficientes ab Impetum faciente archeo, occasionaliter vero a causis occasionalibus." *De febr.* cap. IX.

qualitatum imperio, et medicinam a contrariis contrariorum remediis liberavit.

Non quidem me fugit, ab illis qui chemicam quandam in medicina haeresin ex medii aevi obscuritate originem duxisse docent, Helmontium quoque inter principes eiusdem sectatores referri ([1]). Cum vero generatim quae de huiusmodi chemiae in medicinam imperio enarrata sunt, firma fide carere videantur, tum Helmontium chemicis adnumerare potuerant nonnisi qui ad verba eius magis quam ipsam doctrinae essentiam animum adverterint. Iusta enim distinctione facta inter chemicas quasdam Helmontii hypotheses nominaque quibus in ipsis medicis disputationibus usus est chemiam olentia, et doctrinam propriam tam physicam quam medicam, hanc a chemica interpretatione plane immunem et organicae potius consentaneam esse, pro certo habemus.

XVIII. Non omnino ab Helmontio dissentit Fr. Glissonius, ita tamen ut ad scholasticam potius quam ad mysticam philosophandi rationem adaptaverit suas de organica vita notiones. Qui quidem toti substantiae vitam inesse vindicavit,

---

([1]) Sprengel *Gesch. der Arzneikunde Th. IV. S.* 292. Damerow *Elemente S.* 140.

et naturam substantiae materialis esse internum motus principium statuit; ... „*quod se aut aliud ab intus movet*, esse sufficiens vitae principium.... in se fovere vitale principium quo se determinat, nempe quo percipit quid sit agendum et quorsum, quoque id appetit" ([1]). Organismi universalis dcfinitione ita constituta, et tribus acceptis vitalibus facultatibus, *perceptiva*, *motiva* et *appetitiva*, accurate alium quoque illarum demonstrat ordinem; *naturalium* scilicet, quae necessario agunt, *sensitivarum* quae partim iudicium participant et medio modo inter necessitatem et libertatem sese habent, et *intellectus* qui fons est libertatis in voluntate et motibus inde fluentibus ([2]). In individuo autem organico *fibram motricem* habuit vitae subiectum; quo factum est ut ad motus praecipue animum adverterit, quos docuit post perceptam irritationem ad ipsam appetendam vel fugiendam in fibra exoriri ([3]). Ideoque licet omnes quae in nostro occurrunt schemate (VIII. IX. X.) vitae formas intellexerit, maxime tamen ad res externas relationi (VIII. *b.*

([1]) *De natura substantiae energetica s. de vita naturae*, p. 231 seq.

([2]) Ibid. p. 210.

([3]) De *ventriculo et intestinis*, passim.

IX. *b.*) tribuit dignitatem, quippe quum naturalem perceptionem fibrae inhaerere, motumque tam a sensibus quam a mente seu phantasia, tanquam ab externis causis, cum illa communicari censeret: strenuus quidem illius quam postea Cullenius atque Ioannes Bruno proposuerunt de *excitatione* doctrinae praecursor.

XIX. Quae vero de his atque similibus conaminibus iacta erant medicinae organicae fundamenta, ea fere delevit quae paullo postea orta est nova philosophia, licet haec logicam et physicam potius quam ipsam medicam insectaretur veterum sapientiam. Quae Cartesius de philosophia meruit, huc vix pertinent: in physiologia autem humana tantum abest ut organicas auxerit notiones, ut maiorem doctrinae mechanicae et chemicae praestiterit vim atque auctoritatem. Ideoque qui novam omnium consensu excoluisse videtur philosophiam, existentiam vindicans cogitationi atque libertatem a qualicunque extranea auctoritate, idem medicam contra doctrinam novis finibus circumscripsit.

Notissima sunt a Cartesio posita duo substantiae genera, scilicet *Mens*, seu substantia cogitans et *Corpus* seu substantia extensa; omnino diversa, per se nihil quidquam commune haben-

tia et *Dei* tantummodo voluntate atque interventione coniungenda. Haec autem materiei atque mentis non solum distinctio sed oppositio ad recentiora usque tempora servata quantum medicinae organicae incrementis officere debuerit, elucet. In qualibet enim de mundo materiali disquisitione, qua quidem Cartesius corpus humanum quoque comprehendere voluit, nonnisi extensionem et motum respexit huiusque causas efficientes et secundarias, primariam statuens eius causam Deum, de cuius consiliis rerumque finibus quaerere physici nequaquam esse sibi persuasit. Ita quaecunque de organica vitae notione ante eum exposita erant, neglexit: quippe quae nec cum extensionis motusque mechanici quadrarent legibus, nec e cogitatione desumendae essent qualem ille eam sibi finxerat; quin quae organismum regit atque dirigit ἐντελεχείας notio ipsius philosophandi ratione fuit plane contraria.

Ubicunque vero Cartesii philosophia viam sibi aperuit, homines excitavit ad solertius physices studium, ita ut mox melius cognoscerentur mechanices leges et iam hodiernae chemiae vestigia quaedam ponerentur. Quo factum est, ut physica doctrina quatenus a Graecis exculta erat

et apud Galenum exstabat, quantum esset manca atque imperfecta, facile perspiceretur, id quod absolutius quam Paracelsi atque Helmontii argumenta a veterum auctoritate medicos deflexit. Tenera vero organicae medicinae initia ingentem illius doctrinae vim effugere nequibant, quae, novitatem atque certitudinem prae se ferens, insignem maioris lucis spem pollicebatur. Itaque relicta non solum Galenica physiologia, sed neglectis etiam organismi definitionibus, ad causarum quas dicebant efficientium indagationem medici se convertebant. Quae indagatio duo eaque plane diversa iam praebebat explicandi genera, *mechanicum* scilicet quod vere ita nominandum est et *chemicum:* quorum alterum solidarum corporis partium potissimum respexit structuram et motus qui sensui obvii sunt: alterum fluidarum potius naturam illosque qui suspicioni magis quam perceptioni obnoxii sunt internos motus: vera enim chemismi quam supra (VII.) memoravimus notio ipsos chemicos adhuc videtur latuisse.

XX. Ideo saeculum XVII duas imprimis exhibet in medicina haereses, chemicam atque mechanicam, ex quorum certamine demum iterum exstitit organica.

Chemicam ergo medicinae interpretationem post Cartesium demum exortam esse statuimus. In qua quidem re a vulgari abscedimus sententia, quae antiquiorem illi vindicat originem. Nam et ii qui circa Paracelsi tempora chemicis laboribus operam dabant, et remediis e mineralibus praecipue paratis morbos curandos esse sibi persuadebant medici, chemicorum nomen sibi arrogaverunt. Sed obscura ista notionum vel Galenicarum vel Paracelsicarum cum Pharmaceutice quadam chemica coniunctio, qualis apud Germanicos imprimis, saeculi XVI et quae inde secuta sunt decenniorum, medicos obtinuit, quum ad medicinae progressus parum contulit, tum nullum fere nexum habuit cum ea hominis sani et aegri interpretatione, quam apud Batavos F. Sylvius proposuit, apud Anglos Willisius et Ioannes Mayow, apud Gallos Barbeyracius, Calmetius, Nicolaus de Blegny, quaeque in Germania nostra ab Etmullero et Wedelio promulgata est, cui tamen maiore iure medicinae chemicae nomen tribui consentaneum est. Nec uti iam monui Helmontius quidquam in hanc sectam videtur polluisse.

Accuratius interpretandi genus excoluerunt qui Iatromathematici appellantur, quos ad idem fere ad quod chemici, temporis spatium pertinere

nemo miratus erit, qui utriusque sectae e recentiore philosophia originem quasi necessariam perspectam habuerit ([1]). Illos autem non fugit, quae mathesis atque mechanica docuit, ea ad universam hominis intelligendam vitam minus valere quam ad explicanda singula sanitatis atque morbi phaenomena: his igitur praecipue laborem impenderunt et minutis calculis quaestiones de vitalibus functionibus se absoluturos esse sperarunt. Hanc vero doctrinam ad morborum curationem parum conferre insignissimus quisque inter medicos matheseos sectator confessus est, ita ut ipsi, quum medicinam exercerent, theoriae commenta plane relinquerent atque ad experientiam confugerent, quae organismi *αὐτοκράτειαν*, quam in theoreticis prorsus ignorabant, in morborum curatione eos quamquam invitos suspicari coegit.

XXI. Sicut veterum mechanicam medicinam collegit atque in ordinem redegit Galenus, ita ex recentiorum de quibus iam locuti sumus mechanicis et chemicis doctrinis Hermannus Boerhaave suum elegit systema. Doctrinae quam exhibuit varietas, physica, chemica, anatomica quibus confirmata videbantur fundamenta, docendi atque

---

([1]) Confer Sprengel l. c. IV. S. 419.

scribendi genus simplex, elegans, omnibus perspicuum, tandem qui in iudicanda huius temporis medicina non negligendus est, saeculi animus ab omni subtilitate alienus et in facile quoddam disserendi genus proclivus, immoderatam Boerhavio meruere auctoritatem in totam fere suae aetatis medicinam. Quam quidem ita constituit. Animam omnino a sua medicina repudiavit; corpus tanquam machinam e solidis et fluidis partibus ad functiones exercendas constitutam esse censuit; morbum dixit esse corporis statum quo exercendae functionis facultas tollatur, in solidis et fluidis situm; morborum causam proximam qualemcunque habuit solidarum partium simplicium et compositarum (organicarum) physicam qualitatem alienatam nec non fluidarum varia vitia et copiam mutatam. In solidis partibus considerandis multo maiorem agnovit mutationum diversitatem quam Iatromathematici: in locum acidi et alkali a chemicis propositorum, praeter plethoram acrimoniarum magnam varietatem constituit. Organicas notiones non intellexit, et ubi earum sensit vim et necessitatem, solerter eas declinavit.

Itaque illius quem Cartesiana philosophia in medicina excitaverat progressus finem consti-

tuit Boerhavii exquisitum systema, quippe quod chemicam et mechanicam philosophandi rationem ad omnia adplicaret quae a recentioribus inventa erant anatomica, physiologica, pathologica, atque idcirco Galenicam medicinam, quae apud veteres easdem fere impleverat partes, longe superaret. Quo vero maior fuit singularum quas amplectebatur rerum diversitas et interpretandi rationis varietas, eo luculentius quemque subtilius inquirentem perspicere oportuit, principium quoddam quod omnia dirigeret atque sibi subiiceret, illi deesse.

XXII. Ad interpretandam medicinae saeculi XVIII historiam primum exponenda erunt singula doctrinae Boerhavianae fata atque successus, et quae inde repetenda videntur medicorum praecepta atque inventa, deinde quod tandem maiore vi et feliciore successu renovatum est organicae medicinae momentum atque eius sub variis formis cum mechanismo et chemismo certamen, ex quo denique victoriam reportavit, sed non sine nova lite de singularum eiusdem notionum dignitate.

Recentioris organismi initia a Stahlio posita esse, inter omnes constat: nec necessarium videtur eiusdem placita recensere: id solummodo

monitum volumus quod doctrinae Stahlianae indolem in hac ipsa *organismi* notione statuimus, eam contra quae vulgo tanquam princeps proponitur illius sententia de *animae in corpus vi*, nonnisi per accidens ex organismi notione ad sui temporis philosophiam adplicata, defluere. Organismi enim notionem intellexit, mechanismo vitae humanae quandam destinationem atque finem inesse perspiciens: quam distincte quoque exposuit ([1]). Hanc vero notionem quum conciliare studeret cum caeteris tunc receptis notionibus de hominis natura, statim obviam ei obstiterunt Cartesianorum vulgatissimae sententiae, qui substantiae corporeae extensionem tribuunt, menti cogi-

---

([1]) „Organismi proprium omnino est seu essentiale requisitum ut mechanicam habeat dispositionem, et quidem hanc non solum in genere quatenus in omni subiecto corporeo mechanica dispositio absoluta necessitate praesto est; sed prorsus etiam in specie, ita quemadmodum illi rei cui proprie destinatur omnino etiam mechanica proportione conspirat atque quadrat. Habet antem haec in organo circumstantia non aliam rationem nisi totum genericae et materialis constitutionis: specifica autem et formalis absolute alius est capitis et praecipua sui parte a mechanismo penitus alienissima. Constat enim non solum in *destinatione* sed etiam in actuali *adhibitione* ad effectum specialissimum adeoque revera unicum, ut illa vere specialissima sui constitutione, qua certum plane finem respicit, nec ullam aliam existendi nec etiam ita essendi ullam rationem habeat." *De Organ. et Mechan. divers. XXXIX.*

tationem, motum autem qualemeunque nonnisi a Deo eum materia communicari docent (XIX.). Illam organiearum aetionum perpetuam atque continuam ad finem directionem a motu quodam quem *Deus* ab initio cum eorpore communieaverat oriri nequaquam sibi persuadere potuit: ideoque qui nec ex inerti *materia* derivandi erant motus, ut eos tamen explicaret, iam ad tertium in mundo Cartesiano agens, *mentem* seu animam, ei confugiendum erat, quam tamen non in cogitatione solummodo versari, uti voluit Cartesius, sed in vi eorporeis affeetibus insistendi ([1]), doeuit.

Ita duplex fuit Stahlii labor atque officium, tum corpus a mechanismi imperio liberum reddere, et organismi legibus illud submittere, qua re magnam vim exereuit in medieinam; tum vero demonstrare quantum sit angusta atque inanis mentis cogitantis notio nisi ex vitae corporeae affectibus prodeuntem illam intelligamus; id quod

---

([1]) „Ille (animae) actus quem vulgus ... pro supremo ipsius et absolute proprio ... interpretatur, cogitandi, simulacra quaedam pingendi, iuxta se ponendi et in illo quod ex his prominet aut subsedit aut deflectit tandem immorandi seu acquiescendi, hic inquam actus supremus est et prorsus eminens exemplar unicae illius energiae *corporeis affectibus insistendi.*" *De Org. et Mech. divers. LI.*

vel postea a philosophis atque medicis ad nostra usque tempora nimis neglectum esse etiam atque etiam dolendum est.

Quae Stahlii audacia et ipsos eius sectatores in errores induxit, et multos ei excitavit adversarios. Qui enim eius exceperunt doctrinam, mox derelicta organismi tanquam medicinae veri obiecti consideratione, animam sibi effinxerunt, quam ipse Stahlius caverat, λογιστικὴν potius quam λογικὴν, externos magis quam internos fines respicientem, immo vana et puerilia nonnunquam de corporis statu excogitantem: ideoque quae summa rationalis medicinae debebat esse notio, eam obscuram reddiderunt vel in risum converterunt. Quo factum est ut, quibus huiusmodi displicuit animae ratiocinantis in corpore substitutio, ii organismi quoque notionem negligerent, et reliqua quae Stahlius de homine et morbis egregia docuerat a se alienarent.

XXIII. Hac ratione Stahlium oppugnavit Fridericus Hoffmannus, doctissimus vir atque strenuissimus; quippe qui dum animae in corpus absolutum repudiavit imperium, simul organismi, destinationis atque finis notiones e doctrina de homine reiicienda esse putaret, ideoque quum suam defenderet sententiam in miros nonnullos

implicaretur errores ([1]). Caeterum in novam formam conatus est redigere mechanicam medicinam, vita et morborum causis in *motu* eiusque vitiis positis ([2]). Neque huic quidem doctrinae cum venerando historico ([3]) *dynamici* quidquam a me-

---

([1]) Huiusmodi singulare offert exemplar in *praefat. ad med. rat. system.* ubi asserit „Artis medicae neutiquam esse corpus a sapienti principio *formandum* sed quod iam sapientis et divina semini insita virtute *formatum* est, cuius motus tantum medicus sua sapientia per convenientem rerum necessariarum administrationem regere debet. Siquidem motus vitales qui pure mechanici sunt, in formato corpore neutiquam amplius a sapienti interno principio fiunt et sustentantur, neque ad salutarem finem in morbis diriguntur, sed a causis mere externis, evidentibus, necessariis, puta elementis et alimentis, medicamentis aliisque morborum generibus dependunt, neguntur atque conservantur. Siquidem *deformes post vulnera* externarum partium relictae *cicatrices* abunde docent nihil adhuc a natura in corpore sapiente formari." — — Quanta vero fuit in summo viro mentis caecitas, quum non perspiceret, vel ipsis quamquam deformibus cicatricibus illam in organismo sapientiam miro modo confirmari!

([2]) „Ego definitionem vitae universae medicae theoriae et praxis rationalis fundamentum constituo. Est vero *Vita* nihil aliud quam motus sanguinis et humorum in circulum abiens a systole ac diastole cordis et arteriarum omnisque generis canalium ac fibrarum, sanguinis et fluidi nervei influxu sustentata, proficiscens, qui secretionibus et excretionibus corpus ab omni vindicat corruptione, et omnes eius functiones gubernat." *Med. rat. syst. praefat.*

([3]) Sprengel l. c. Th. V.

chanismo diversum concedendum videtur, praecipue quum ipse Hoffmannus iterum atque iterum hanc mechanicam suae medicinae vindicaverit appellationem.

XXIV. Quae hucusque medicina praestiterat, generalem potissimum organismi et quidem individui spectaverant notionem (VIII): verum iam eo perventum erat, ut illa quam ex organismo prodire perspeximus, notionum series quae ad *sensum* explicandum pertinet (IX), imperium quantum par erat in medicina teneret, id quod egregie adiuvit corporis humani anatome quae eodem ferc tempore ita exculta erat ut ad generis nervosi praecipue situm atque ordinem sese converteret.

Primum quidem medici maiore studio animum adtenderunt ad melius indaganda sensus atque motus in musculis phaenomena, in qua quaestione maximam sibi meruisse laudem Albertum Hallerum neminem latet. Deinde vero quae experimentis probata erant, ea conati sunt ad generaliores redigere notiones, et ad universam dc homine sano et morboso doctrinam adplicare; ubi idem Hallerus, quum nec sensum nec motum ad solitam mechanismi normam explicari posse

perspiceret, tamen praeceptoris Boerhavii sectae strenue addictus eo rem absolvit, quod communibus materiae qualitatibus seu viribus mechanicis, quibus regi animantium corpora suspicabatur, alias duas vires adiunctas statuebat, *nervosam* atque *insitam musculorum*, quae postea sensibilitas atque irritabilitas vocatae sunt.

Multorum opinioni satis fecit huiusmodi virium apparatus, qui pleraque vitae animalis phaenomena in meliorem quendam ordinem adducere videbatur. Adversarios autem habuit non solum qui etiam religiosius Boerhavii et reliquorum mechanicorum vestigia insecuti nec fibrae musculorum nec nervis quidquam proprium concedendum esse putabant, sed et eos qui plus minusve accurata organica doctrina imbuti hanc ad sensum quoque adplicandam esse sibi persuaserant. Derelicto illorum clamore de his pauca verba faciamus, quorum quidem apud Britannos Whyttius, apud Batavos Gaubius, apud Gallos Theophilus Bordeu primas tenuisse videntur.

Robertus Whytt, dignissimus Stahlii adsecla totum vitae, sensus, motus, intellectus negotium in uno posuit *principio activo sentiente*: praecipue vero quantum in quaque exercenda functione

polleant nervi ([1]), quos et sympathiae et synergiae habuit instrumenta ([2]), monstravit.

([1]) „*There seems to be in man one sentient and intelligent* PRINCIPLE, *which is equally the source of life, sense and motion, as of reason; and which, from the law of its union with the body, exerts more or lefs of its power and influence as the different circumstances of the several organs actuated by it may require. That this principle operates upon the body by the interveution of something in the brain or nerves, is I think likewise probable: though as to its particular nature I presume not to allow myself any uncertain conjectures: but perhaps, by means of this connecting medium, the various impressions made on the several parts of the body either by external or internal causes, are transmitted to and perceived by the mind, in consequence of which it may determine the nervous influence variously into different organs, and so become the cause of all the vital and involuntary motions, as well as of the animal and voluntary. It seems to act necessarily, and as a sentient principle only, when its power is exerted in causiug the former: but in producing the latter, it acts freely and both as a sentient and rational agent.*" *On the vital motions of animals. Edinb.* 1751. *p.*290. .... „*The motions performed by us, in cousequence of an irritation, are owing to the original constitution of our frame and law of union established by the Creator between the soul and body, whereby the former immediately and without any exercise of reason endeavours by all means and in the most effectual manner to avoid or get rid of every disagreable sensation conveyed to it by whatever hurts or annoys the body*". Ibid. p.309.

([2]) *On nervous disorders. Edinb.* 1767. *Chap.* 1. *Of the structure, use and sympathy of the nerves.*

Gaubius in pathologia generali distincte atque concinne tradenda omnium facile princeps, in institutionibus quas edidit, in hoc scribendi genere exemplari nunquam nobis non ante oculos habendo, quamvis Boerhavii oleat disciplinam, tamen organicarum quas nos vocavimus notionum vim atque gravitatem minime neglexit ([1]). Praeterea vero ad interpretandum motum et sensum *vim vitalem* posuit *solido vivo* propriam ([2]), cuius quidem excessum et defectum, irritabilitatem et torporem, inter morbos collocavit.

Theophilus Bordeu quoque hic nominandus est, quippe qui quum strenue mechanismum oppugnaret, in intelligenda vita sensum praecipue respexerit ([3]), ita tamen ut variis organicis cor-

---

([1]) *Instit. pathol. med.* 4. 5. 37. 51. 99. 100 etc.

([2]) „Vis vitalis solidi est qua id ad contactum irritamenti sese contrahit, crispat." Ibid. 170. — „Duas ergo in solido vivo concipere facultates licet, alteram quasi *sentiendi* qua stimuli actionum suo quodam modo percipit: alteram *movendi*, qua sese contrahendo vim vi opponit ac repellit, veluti quod quietis suae statum turbat." Ibid. 172.

([3]) „*On a soutenu à Montpellier, et plusieurs des membres de la faculté y soutiennent encore, que le corps animal contient un principe de vie et d'action dependant de son essence. Cette vie et cette action ne sont à proprement parler que la vertu de* s e n t i r *propre aux organes ou aux nerfs des animaux.*" *Recherches sur l'histoire, Oeuvres de*

poris partibus propriam tribueret vitam, sensum, atque existentiam, ex quorum demum consensu communis totius individui vita prodiret ([1]).

XXV. Hic fuit triumviratus qui saeculi sui decus, caeteris qui similibus studebant viam aperuit ad ampliorem medicinae rationalis culturam. Ita post Bordeuum multum profecerunt viri Monspelienses, quos ipsis erroribus quandam sibi meruisse dignitatem affirmari potest: nec Gaubius magnam suam operam frustra absumsit, quum Batavos potissimum et Germanicos medicos exemplo suo excitaverit: maximum vero ex illis laboribus emolumentum cepit Guilelmus Cullen, summus vir qui utrum in ratione an in experientia maior fuerit difficile est statuere. Is quantum ad hodiernam valuerit formandam medicinam a plerisque ignorari certissimum est. Nosmet au-

---

Bordeu, II. p. 667. — „*Le regne du sentiment ou de la sensibilité est des plus étendus; le sentiment revient dans toutes les fonctions, il les dirige toutes, il domine sur les maladies, il conduit l'action des remèdes .... il varie et se modifie differemment dans presque toutes les parties.*" Ibid. p. 669.

([1]) „*Le corps vivant est un assemblage de plusieurs organes qui vivent chacun à leur manière, qui sentent plus ou moins, et qui se meuvent, agissent et reposent dans des temps marqués.*" *Maladies chroniques, Oeuvres II. p.* 829.

tem quin ad illum hos commentarios extendamus, plures vetant causae.

Recentiorum quoque in medicina progressuum expositio nostri propositi limites prorsus excedit, quin et nostras adhuc superare vires libenter confitemur. Attamen maximi habemus momenti quaestiones de posteriorum haeresium causis, originibus et vera significatione: qua demum perspecta fieri poterit ut illorum quae nunc imperant tam apud nos quam apud exteras gentes in medicina systematum atque opinionum inter se relatio atque dignitas intelligatur.

THESES DEFENDENDAE.

1. Nemo psychologus nisi physiologus.
2. Historia non solum enarrat et iudicat sed explicat ac intelligit res humanas.
3. Vita oppositioni virium non obnoxia est.
4. Dolor morbi index, non morbus.
5. Falsa in scholis τῆς κρίσεως significatio docetur.
6. Reiicienda est in morborum indagatione *debilitatis* notio.
7. Contraria contrariis non curantur.
8. Cholera quae Russiam nunc infestat, contagione non crescit.
9. Syphilidem exanthematibus adnumero.